

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XIX.

Sin Christo. Reverende vir. Non dubito, quin, quod omnium sermone celebratum est, tibi quoque notum sit, quod superiori anno initum sit Pataviae pactum quoddam de Religione inter Cæsaream Majestatem & Principes Germaniæ. Inter articulos autem ejus pacti & conventionis, etiam hoc continetur, quod initio comitorum Imperialium, ex utraque parte seligi debeant viri tranquillo, moderato & pacifico ingenio præditi, qui inter se deliberent, quâ commodiori via & ratione, controversia de Religione componi & conciliari queat. Quare cum hoc tempore Imperialia comitia publice ad diem 8. Aprilis indicta sint, visum est nonnullis piis Principibus, ante ea comitia, Legatos suos, tam Theologos, quam Politicos, in certum locum mittere, qui consilia sua inter se ita conferant, ut si imperialia comitia processerint, pii Principes in promptu habeant, quod in causa religionis tractare possint. Hoc volui tuæ humanitati idcirco significare, ut referas hoc secretò, pro tuâ prudentia, ad eos, qui sunt à secretis consiliis vestræ urbis, & cupiunt piam doctrinam conservatam & propagatam, ut secum deliberent, num videatur ipsis profuturum, si & ipsi ad eum conventum, quem fortassis pii Principes instituent, suos Theologos & alios Legatos mittant. De qua re si quid certi cognoveris, certiore me reddere potes. Bene ac feliciter vale. Studgardia, die 16. Martii. Anno M. D. LIV.

Jo. Brentius.

XX.

SD. Reverende & clarissime vir. Accepi superioribus diebus tuas literas, quibus mihi singularem tuorum civium voluntatem, quæ antea nobis satis cognita & perspecta fuit, erga verè piam doctrinam significas. Quod donum cœleste precor ex animo, ut Deus Spiritu Sancto suo confirmet & conservet. Etsi autem fieri potest, ut in Comitibus Augustanis de religione nihil tractandum suscipiant, tamen visum est non solum Illustriss. meo Principi D. Christophoro, verum etiam D. Augusto, Electori Saxoniae, & D. Landgravo Hassiæ, ac aliis nonnullis piis Principibus, conventum Legatorum suorum, tam politicorum quam Ecclesiasticorum in Naumburg Misniæ instituere, ut conferant inter se de conservanda confessione Augustanâ, ne quis peregrinam nobis doctrinam obrudat. Jussus igitur sum, tuam humanitatem his literis certiore reddere, quod præfatus conventus constitutus sit ad Naumburg ad diem Jovis post Cantate, hoc est, ad diem 26. Aprilis, ut referas ad eos vestræ reip. Senatores, penes quos est harum rerum administratio & curatio,

F

si forte

si forte & ipsis libeat suos Legatos ad conventum Naumburgum mittere, & quod in rem Ecclesiarum pertinere videtur, consiliis suis conferre. Quod igitur tui cives faciendum statuerint, precor, ut sit tam Ecclesiae, quam reip. salutare. Nolo autem te celare, quod Legati mei Principis suscepturi sint professionem ad Naumburg die 18. Aprilis. Bene ac feliciter vale Studgardiae die 15. Aprilis Ao. 1554.

Jo. Brentius.

XXI.

S Pluribus non possum ob improvisum latoris harum discessum. Is affinis & *carissimus* meus est, mihi in Domino conjunctissimus. Quem iussi familiariter te & D. Rabum convenire, & quod nuper ego non potui efficere, ut tecum, quantum voluissem, commentarer, per hunc & commode & tuto licebit. Est enim is alter ego. Eoque facilius nuper tuli, quod jucundissimo tuo, eoq; prolixiore, colloquio destituerer, cum scirem, hunc meum intimum ad vos illico professionem destinasse. Et quia tui etiam praesentis aliquando Basileae copiam datum iri spero, sicut & D. Ludovici, id enim discedenti promisit, quâ re nihil acceptius optatusq; evenire mihi queat. Vale cum Syñistis & Professoribus omnibus. Basil. 29. Maji Anno 1554.

D. Ludovico pulveres contra vertiginem medicas mittam, cum primum licebit, quia nunc expediri nondum potuerunt.

T. Sulcerus.

XXII.

S D. Reverende vir & cariss. frater! Legimus convocatos esse Doctores à Constantino, Theodosio, Martiano: Sed existimo, majore cura eas Synodos & convocatas & gubernatas esse, quam nostra Synodus in ripa Salæ Naopyrgum convocata est. Optarim plures adfuisse, & de iis controversiis collocutos esse prolixius, quarum explicatio necessaria est. Pagellas, quas tibi scripsimus, legisse te non dubito, quare te valdè oro, ut mihi scribas de tuo iudicio. Nunc tibi commendo hunc pauperem scholasticum, Petrum Campensem, qui memor divini praeccepti, fugite idola, maluit in nostris Ecclesiis vivere, quam in patriâ. Sperat, sibi tribui locum in collegio vestro posse.

Quaeso